

Bibliothèque numérique

medic@

Osmont, Esmiland - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - [De
pedis distorsione]

1754.

***Paris : Typis FR. Delaguette
Chirurgorum Collegii
Typographi
Cote : ms 2342, n°43***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0043](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0043)



D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.

I.



ULLÆ non humani corporis partes privatis ac peculiaribus sibi usibus deputantur. Ex mutuo omnium inter se commercio totius pendet machinæ incolumitas, quæ ut innumeris casibus adulterari potest, sic infinitis medentium curis foveri debet. Extremitatum quidem superiorum functiones nobilior quiddam menti exhibent; at non idcirco spernenda inferiorum ministeria. In Pede progressionis munia potissimum executuro quantum sit auxilii norunt ii qui expedito gaudent, norunt & qui alter-utro vel etiam utroque simul capti sunt. Sexcentis est obnoxius incommodis; quæ cum singula eo loci prosequi absurdum sit, unicum expendemus, ac primò structuram partis Anatomicam; quantum in nobis erit, perlustrare conabimur.



I I.

Pes igitur, sive pars corporis extrema cum tibiâ peronæque juncta, triplici modo, in Tarsum scilicet, Metatarsum & Digitos dividi solet. Conflatur Tarsus septem Ossibus alia atque alia sortitis nomina; quinque Metatarso adscribuntur; Digitos verò quatuordecim constituunt, his addenda tamen Ossa Sefamoidea. Variè omnia inter se se mediantibus Ligamentis & Cartilaginibus connectuntur, ac vasis cujuscumque generis irrorantur.

III.

MULTIFARIO. Pes instruitur motû, extensionis videlicet, flexionis, adductionis & abductionis. Diversis autem illis motibus favent musculi numero novem. Tres flexionem præstant, quatuor extensioni inserviunt, unius opè intus, itemque unius Pes extus fertur. Hæc porrò & alia ad pedem attinentia fusiè explanabunt nostræ responsiones.

EX CHIRURGIA.

I.

Ex aptâ ossium corporis humani coadunatione multiplices, necnon necessarios usus exoriri quisquis inficias iverit, is vitæ functionum planè rudis ac ignarus haud immeritò judicabitur. Cum autem naturalis harumce partium constitutio ad optimam hominis habitudinem conferat, eâ semel vitiatâ liquidò patet plurima enasci incommoda. Exemplo sit Pedis articulationis, quoquo eveniat modo, impedimentum. Enim verò progressionis motus ferè perpetuos, qui non nisi Pedum auxilio perfici quæunt, si spectaveris, quantum molestiæ, quantum damni his partibus destituto impendebit.

I I.

IN communes vulgò & proprios dividuntur affectus Pedem infestantes, quos sanè singulos vel describere prolixius foret, unicum ergò juxta consuetum morem aggressuri, distorsionem duntaxat proponemus.

I I I.

HUJUS porrò morbi nomine intelligitur extensio, seu gra-

vis partium plus minùs-ve roboris ³ Pedi conciliantium, ligamentorum putà, cartilaginum, tendinum & cæterorum collisio, aut compressio. At verò cùm varii extensionis gradus pro diversis conatibus sint distinguendi, triplex Distorsionis species venit consideranda; alia nimirum levis, alia paulò major, alia demum maxima. Quin & observare abs re non erit, ubi primum ad summam devenerit extensio, tùm partibus ossis à propriâ dimotis aut depulsis sede, commutari penitus morbi naturam, exinde que Diastasim, Luxationem-ve oriri.

I V.

Internæ sunt & externæ Distorsionis causæ; priores tanquam primitivæ aut prædisponentes habendæ; posteriores verò ex lapsu, nixu, fallente vestigio & gravi collisione eruuntur.

V.

DIAGNOSIM Distorsionis constituunt ægrotantis narratio, partis affectæ dolor, causæ inspectio, incessus difficultas, Pedis tumefactio ac echimosis, motus denique plus minùs-ve impediti.

V I.

DERIVATUR autem prognosis ex collisionis vel partium extensionis momento, ægroti habitudine, ejusdem ætate, temporis deniquè tempestate quâ distorsione tentatus est.

V I I.

IN curandâ distorsione, speciei, accidentiumque habenda ratio, ac proindè non unum est medelæ genus. Si levis fuerit, huic ut plurimum debellandæ sat erunt remedia generalia, sicut idoneus & quies. Si major, prædictis superinducuntur pro re natâ cataplasmata emollientia, nec non resolventia, embrocationes oleosæ ac spirituosæ, à nonnullis primo instanti aqua frigida. Si tandem gravissima, iisdem, adsit modò prudentia, frequentius diutiusque utendum censemus.

V I I I.

QUONIAM tamen, invitâ artis ope, ab abcessu periculum est; si immineat puris collectio, citò citius promovenda est suppuratio, conciliandusque, juxta præscriptam à peritis normam, collectæ materiæ exitus; tùm vulnus, ut moris est, cura-

4
bitur. Aliis insuper, si quæ sint, pro re natâ superveniendum
accidentibus.

*Has Positiones, DEO JUVANTE, & Præside M.
FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium Li-
beralium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur Es MIL-
LANDUS OSMONT, Auffonensis, Artium Liberalium
Magister.*

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

*Die Veneris 20^a. Septembris, à sesqui-secundâ post meri-
diem ad septimam, anno Domini. 1754.*

PRO ACTU PUBLICO
ET MAGISTERII LAUREA:

Typis FR. DELAGUETTE, Chir. Collegii Typographi,